

- 42^o 0. Paulus — Fliscum.
 1. Medicis — Sanctum Vitalem, Anconitanum, Vulneratum.
 3. Frenesius — Arborensis, Grimanum, Strigoniensem, Aginensem.
 0. Aragona — Sanctum Vitalem, Anconitanum.
 0. Cornarius — Anconitanum, Anglia.
 0. Mantuanus — Bononiensis, Anconitanum.
 0. Petruzius — Arborensis, Anconitanum.

Et deinde, hoc peracto, reverendissimi domini cardinales, hora XVI iverunt ad prandium, postea iterum ad praticas redierunt, et res perdubia manxit usque ad XXII horas. Post haec, cardinalis Sancti Georgii et cardinalis de Medicis publice in aula magna locuti sunt per horam, nemine tamen audiente, quia res inter ipsos duos vertebatur et erat valde dubia, et aliqui cardinales ex senioribus, qui prius colligati erant inter se, deserere cuperunt et aliqui eorum ad cardinalem de Medicis accedere cuperunt, et sic postea plerique alii fecerunt; tandem hora prima noctis, omnes eum in Pontificem receperunt eumque comitando ad celulam suam conduxerunt manumque ibi deosculati sunt, et sic ceteri conclavistae fecerunt, et tota nocte fuit fere ab omnibus vigilatum.

Die vero veneris, die 11, hora XII, reverendissimi domini cardinales omnes iverunt ad celulam cardinalis de Medicis et ibi per horam steterunt; deinde omnes ad missam cum croceis ad parvam capellam Sancti Nicolai, qua audita, omnes conclavistae portarunt dominis suis seabella cum instrumentis ad scribendum apta et cum luminaribus.

Deinde fecerunt scurtinium, et nemine discrepante, omnes reverendissimi cardinales in Summum Pontificem reverendissimum cardinalem de Medicis elegerunt, qui asumpsit sibi nomen Leonis X. Postea omnes cardinales obtulerunt ei capitula conclavis subscribenda.

Deinde induerunt eum vestimentis pontificalibus et posuerunt eum super altare dictæ capellæ, et sedendo cardinales ordinati præstiterunt ei obedientiam et deosculati sunt, primo pedem, deinde pectus, et Papa recepit eos cardinales ad oscula et amplexus. Postea recepit existentes in capella, idem fecerunt; et aperlo conclavi, turba irrupit et positus in sede maxima cum amplexu portatus est in Sanctum Petrum cardinalibus et omnibus comitantibus, ubi posuerunt eum, idest in capella Sancti Petri, et cantaverunt. Sacerdotes et cardinales iterum eodem modo obedientiam præstiterunt, et ceteri astantes deosculati

sunt pedem, et stetit ibi per horam cum dimidia. Postea reportatus est in palatium, cardinalibus comitantibus et cum tubicinis et aliorum et populi aplausu.

In nomine Domini amen. Universis et singulis hoc præsens et publicum instrumentum inspecturis et lecturis evidens et notum sit, quod anno a nativitate Domini nostri Jesu Christi millesimo quingentesimo tercio decimo, indictione prima, die vero ... martii, vacante sede, reverendissimi in Christo patres et domini domini episcopi, præsbyteri et diaconi Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales, in loco infrascripto, ordine suo solito considentes, coram nobis notariis et testibus infrascriptis et ad hoc habitis, vocatis et rogatis, conventiones, pacta et capitula inita et concordi voto et animo fecerunt, iniverunt et firmaverunt, illaque omnia et singula et omnia et singula in eis contenta attendere et observare, adimplere et exequi promiserunt et voverunt ac Sanctis Evangelii manu tactis iuraverunt, rogantes nos notarios infrascriptos simul et in solidum ut de illis unum vel plura præsente seu publicum instrumentum seu instrumenta confiteremus; quorum capitulorum rescriptiones et tenores, eorum denique reverendissimum dominorum cardinalium votorum et juramentorum modi et forma infra sequuntur.

Infrascripta sunt capitula privata pro unione et caritate inter Summum Pontificem noviter creandum et reverendissimos dominos cardinales Sanctæ Romanae Ecclesiæ, facta etiam sub iuramento et voto ut infra.

Cum reverendissimi in Christo patres et domini Sanctissimæ Romanæ Ecclesiæ cardinales membra sint Summi Pontificis eique assistant continue et omnium onerum participes sint, equum censendum est et officio patris in filios consentaneum, ut amplioris tenoris gaudeant prærogativas, et quam plures substantandos dignitatis causa habeant ministros, eo illis maior ad benemerendum præbeantur facultas. Hinc est, quod nos omnes et singuli Sanctæ Romanae Ecclesiæ cardinales, infrascripta pro bono et felici regimine ac quiete nostra iuramus et vovemus Deo Omnipotenti et sanctis apostolis Petro et Paulo atque omnibus sanctis Ecclesiaeque suaे Sanctæ promittimus, quod si aliquis ex nobis electus fuerit in Papa, ille statim, ante publicationem electionis de se celebratæ, promittet, iurabit et vovet pure, simpliciter et bona fide servari facere et in effectu adimplere omnia et singula capitula infrascripta, neenon publica instrumenta capitula conti-